



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Panegyriqves De Monsievr Verjvs

Verjus, Jean

Paris, 1664

Divo Lvduvico Panegyricvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14842



DIVO
 LVDOVICO
 PANEGYRICVS:

*Magnificauit illum Deus, & dedit illi gloriam
 Regni. 1. Paralip. cap. 29.*



ELICITATIS cuiusdam fortasse videbitur, quòd sanctum Regem laudaturus apud Regios Theologos acturus sum, qui & eximiæ pietati maximè fauent, & Regium nomen præcipuo quodam studio atque obseruantia colunt. Quantum tamen adjuuare potest Oratorem Auditorum humanitas & fauor, tantum & facultatis ipsius in dicendo mediocritas & suscepti operis magnitudo timoris ac dubitationis afferre debet. Dicendum enim est de duobus rerum humanarum vel maximis, Regiâ dignitate & insigni virtute. Dicendum de difficillimo diuinorum omnium operum ac præstantissimo, Regiâ sanctitate; quâ sicut nihil illustrius aut hominum generi salu-

C c c

tare magis est, ita nihil ad dicendum difficilius esse potest. Cujus enim non perstringat oculos supremæ illius dignitatis splendor insolitus? Cujus animum non illa augusta præstantissimæ virtutis species perturbet ac deterreat? Sed cum vtriusque præcipuo quodam jure Deus author effectorque sit; cum vtrique à mortalibus tantum honoris ac reuerentiæ, quantum nulli alteri rei deferri velit; adjuuabit profectò, vt aliquid de Rege sanctissimo dicam: quod si minùs excellenti illius virtuti ornameto futurum est, cum præsertim pulcherrima quæque Orationis lumina occupauerit jam & mihi præriperit sapientissimi viri, qui ante me dixit, eloquentia; mei certè erga illum cultûs venerationisque sit argumentum.

Quàm amplum & quàm augustum sit ipsum per se Regium nomen, nemo est, Auditores Ornatissimi, qui possit ignorare. Quid enim majus aut illustrius cogitari potest, quàm à summo dominatore mundi constitutum hominem esse, qui suo loco res humanas regat & gubernet, ac veluti præfens quoddam & aspectabile numen populis omnibus haberi debeat. Sic tamen existimo, gloriam omnem, majestatemque imperij ac regni, quam scriptor sacer tantopere prædicat, in sola præstanti virtute ac eximia sanctitate morum esse positam. Neque enim, vt vulgus imperitum solet, putabitis vnquam splendidis illis summæ potestatis insignibus, nec illo magnifico regiæ dignitatis instrumento, Regum majestatem constare; non Palatiorum

substructionibus insanis, aut inusitato supellectilis ornatu, non stipatorum ac custodum cohortibus, non comitum & aulicorum grege; ac ne illis quidem, quæ majora videntur, exercituum robore, multitudine classium, diuitiarum abundantia, provinciarum opibus & amplitudine. Maius aliquid ac diuinius est quo tanti ac tam augusti nominis vis & Majestas continetur. Secundi sunt, ut ait ille, à Deo Reges, & post ipsum primi, eaque obseruantia & veneratione colendi, quæ proximè ad religionem ac pietatem accedat: Verùm ita maximè, si veram legitimamque cum Deo similitudinem habuerint, nec æmulatione potestatis tantùm leuia ejus vestigia exprefferint, sed virtutis ac bonitatis imitatione clarissimam imaginem exhibuerint.

Quam sane tam illustrem ac tam diuinam similitudinem duæ solæ res efficere possunt, quibus sanctitas omnis constare videtur; submissus erga Deum animus, erga homines benignus. Cùm enim ea cuique rei à natura lex posita sit, ut absoluta perfectaue non possit esse, nisi & superiori quàm simillima, & inferiori quàm vtilissima sit, constituti autem ita sint Reges, ut inter Deum populosque medijs, illius Vicarijs Legatique, horum defensores tutoresque sint; si majestatem gloriamque suam obtinere volunt, à Deo Imperij & administrationis leges & exempla sumere debent, quæ in subditorum sibi populorum salutem adhibeant; ut qui sanctissimus Rex, idem nu-

mini obsequentissimus, subditis beneficentissimus visus fuerit, is demum maximus ac gloriosissimus habendus sit.

Hoc autem verè affirmare possum, Auditores, nullum vnquam ex omni memoria Regem extitisse, qui tanta erga Deum pietate, tanta populorum suorum salutis sollicitudine, quanta Ludouicus noster excelluerit. Nemo est, qui vitam ejus inspexerit, qui non agnoscat eum, qui inter omnes Europæ Reges claritate generis, imperij dignitate, ditionis magnitudine, opibus ac splendore maximus erat, incredibili quadam pietate summi numinis famulum in omnibus rebus & administrum agere voluisse: eum, qui tot populorum jure suo Princeps, duxque esset, patriæ parentem, quàm Dominum haberi maluisse. Quæ duo cùm ostendero, præclarissima quæque & ad gloriam illustrissima, quæ dici de Rege possunt, dixisse me facile videbitis; simulque quod initio ex sacris litteris depromptum aiebam, veram solidamque Regni gloriam Ludouico nostro à summo Regum dominatore esse concessam.

Nescio qua ingenij humani prauitate fieri dicam, vt qui plus rerum omnium auctori ac gubernatori Deo debent, minus illi obsequij cultusque exhibere videantur: siue, vt ait ille, beneficiorum numerus, atque magnitudo quasi mole sua grati animi sensum omnem opprimit obruitque; siue spe bonorum magis quàm memoriâ ducimur, studiumque erga eos facile remittitur ac refrigescit,

à quibus, cùm omnia dederint, nihil ampliùs expectamus. Certè plerumque vsuvenit, vt qui ampliffimis Dei muneribus ornati cumulatique sunt, adeò non ardentiori amore erga illum incendantur, vt donis tanquam propriis perpetuisque fruentes datoris ipsius videantur obliuisci. Ea nimirum esse solet felicitatis humanæ fatalis quædam funestaque peruersitas, vt mortalium oculos circumfuso inani suo splendore præstringat, nec virtutis aut officij pulchritudinem videre patiatur; vt infinitis cupiditatibus animum implicet atque impediatur, ne facilè aspirare ad res diuinas & cœlum intueri queat; tanta denique superbia & insolentia beatorum illorum mentes efferat, suæ vt conditionis obliuiscere, vix ad fortunæ suæ authorem respicere, vix vllos religionis ac sinceræ pietatis sensus conseruare possint. Hæc ergo singularis quædam gloria Ludouici fuit, quòd tot tantaque impedimenta sanctitatis egregia quadam naturâ ac virtute incredibili superauit; quod ornamentis Regiis non ad superbiam aut arrogantiam, sed ad Dei cultum atque obseruantiam est vsus; fortunæ, dignitatisque magnitudinem non solitis potentum vitiis corruptit, sed virtute ac pietate conserauit.

Duo fere sunt, quibus regia vis ac majestas omnis nititur, ferendarum legum authoritas, tractandorum armorum potestas. Iis duobus ita Ludouicus vsus est, vt non regnare ipse, sed Dei Regnum constituere ac stabilire velle videretur.

Injurias sibi illatas nunquam vltus est; diuina jura violata sic est executus vt intelligerent omnes, quicumque diuinum numen laceffere impiâ temeritate ausi essent, infensissimum sibi hostem esse paratum. Majestatis reus nullus habitus est, nisi qui Deo bellum indixisset. Qui contra Regem arma mouerant, qui ferro, exercitibus, copiis petierant, eos incredibili clementia in gratiam recepit, & summa beneuolentia complexus est; Qui verò res sacras inuerecundè tractassent, qui diuinum numen contempsissent, eos suppliciiis omnibus excrucianos putauit. Qui vitam Regis infidiis nefariis aggressi erant, qui fidas intenterant, qui venenum parauerant, qui crudelissima nece perdere conati erant, veniam consecuti sunt, incolumes, florentesque eius benignitate fuerunt: Qui verò, debitam Deo reuerentiam vel verbo violare sunt ausi, eos ignominia notauit, Regno suo exterminauit, carceribus, abscissione membrorum, acerbissima denique morte multauit. Rege læso, scelere, machinationibus appetito silent leges, segnes atque inermes videntur: Si quid contra pietatem ac religionem attentatum est, ferro atque flammis armata & omnium suppliciorum terroribus instructa insequuntur noxios, nec vsquam consistere patiuntur.

Iamverò militaris ipsa Regis authoritas ac virtus bellica quid aliud quàm Dei jura vindicanda, gloriam imperiumque propagandum specta-

uit? Plerique Principum insatiabili gloriæ aut imperij cupiditate inflammati bellum in remotissimas regiones intulerunt, orbem terrarum cædibus, atque incendiis vastarunt, præclaris illis victoriis ac triumphis nihil effecerunt, quàm vt generis humani teterrimæ pestes ac turbines populis omnibus sæculisque detestandi videantur. Sed non ea mens tua, LVDOVICE Sanctissime, non id Consilij fuit: singulari fortitudine præditus gloriæ atque victoriæ, quantum Sapienti & magnanimo viro satis erat, auidus fuisti. Verùm in purissimo pectore dominabatur vna maximè gloriæ diuinæ Imperiique cupiditas. Hæc vna cæteras omnes cupiditates non vincebat modò, sed tegebat penitus & obruebat: Hæc vna duo bella longinquitate locorum remotissima, ferocitate hostium, immanitate regionum, rerum omnium difficultate formidolosissima atque grauissima suscipere coëgit: Hæc vna in immensos terra marique tum viæ, tum belli labores, & in aperitissima vitæ pericula coniecit.

Periclitabantur in Asia Christianorum res Principum nostrorum imprudentia ac discordiis: felicitate Barbarorum & industria in extremum pœne discrimen venerat constitutum à Gotifredo clarissimo illo Latinorum quondam duce Imperium. Nullum laborem, nullum periculum recusat Ludouicus, vt laborantibus ac periclitantibus Christianis opem ferat. Habentur in Gallia continuò delectus, exercitus comparantur, classes

ædificantur, & instruuntur vniuersis Regni viribus, ad liberandas terras Christi sanguine & victoriis consecratas. Rex proficiscitur, eò properat quò diuini cultus cura, quò Christiani nominis salus, quò Religionis veræ studium atque amor vocat.

Nemo nescit quem exitum habuerit tam pium ac tam forte Consilium. Arcanis at æquissimis prouidentia suæ decretis felicem euentum magnis inceptis, præclaris facinoribus, egregiis fortitudinis monimentis non concessit Deus, qui mentem hanc fortissimo Regi dederat. At famam certè virtutis immortalem, at gloriam Imperij maximam splendidissimamque non negauit. In illa offensione belli & calamitate miserabili clariùs enituerunt Ludouici virtutes, ipsis victoribus hostibus stupori & admirationi fuerunt. Tum apparuit vel maximè quantus amor Religionis, quanta erga Deum cultumque eius fides & studium maximi Principis pectus inflammaret. Nihil tanta clade commotus, non suorum strage, non sua ipsius calamitate deterritus Christianis rebus tantum opis atque auxiliij victus captusque attulit, quantum à victore ac triumphante vix expectandum fuisset. Collabentem multis locis verum Dei cultum restituit aduersùs Barbarorum incursiones, oppida præfidiis firmavit, Syriæ Regnum ita copiis & adiumentis omnibus communiuit, vt aduersùs Christiani nominis hostium impetus & conatus firmissimum propugnaculum in posterum esse posset.

At

At non in tantis rebus acquiescit sacratissimi pectoris ardor ille Diuinus. Sic redit in Galliam suam Ludouicus, non vt post tantos labores, tot annos in armis ac periculofissimo bello transactos, quieti atque otio se dedat; sed ut ad novos labores ex integro suscipiendos se comparet, vt noua pro Religione bella, noua pro Christo pericula rursus aggrediatur. Non prioris belli euentus infelix, non Africæ regionum feritas, non marium importunitas, non immanitas populorum, non Barbarorum Regum vis ac potentia pium Regem à proposito deterruit; non Gallia timentis gemitus, non populorum desideria, non omnium bonorum vota retinere potuerunt. Nihil audit Ludouicus, nihil videt, nisi quod animo eius ardentissima pietas & cultus Diuini sollicitudo obtulerit. Videt jacentem vbique in Africâ veram pietatem, vbi florentissima quondam fuerat; euersa templa, comminutas aras, sacra omnia violata animo intuetur; tot Christianorum populorum voces sub intolerabili iugo gementium, ipsius Religionis afflictæ ac proculcatæ clamores audire sibi videtur; hanc tam funestam deplorandamque speciem dies noctesque obuersantem animo ferre non potest; has miserabiles atque luctuosas voces ex Africâ ipsâ non sine summâ commiseratione exaudit, aduolat opem laturus, totis Regni opibus, copiisque in auxilium contendit.

Proh Deus immortalis! Tantamne in vno viro,

D D d

tam inuictam atque inconcussam animi firmitatem & pietatis constantiam esse, ut nullis malis ac periculis, non modò non frangatur neque debilitetur, sed confirmetur in dies ac corroboretur. Itaque Deus O. M. cum jam nullum in terris præmium tantæ virtuti par esse posset, quâ potuit maximâ mercede ac gloriâ statim decorauit. Victoriis ac triumphis satis superque Regis inuicti vita fuerat ornata: quid restabat, quàm ut hoc bello felicitatis æternæ quies ac refertum illud infinitis bonis cœleste regnum maturè pararetur? Vos Tunicenses Terræ, vos Carthaginenses, vos Africæ desertæ oræ, Regiones, Gentesque barbaræ, quæ armis eius subactæ, fortitudinis, magnanimitatis, Sapientiæ testes fuistis; Constantiam etiam in malis, atque inuictum animi robur summa cum admiratione vidistis. Non tantæ feritatis, credo, fuistis, quin ad maximi & optimi Regis grauem acerbumque casum ingemisceretur. At habuit certè Gallia quo tantæ jacturæ dolorem acerbissimum solaretur, partam Regi Sanctissimo, partam sibi, partam successuris regibus omnibus gloriam immortalem. Hæc enim profecto gloria regis maxima fuit, Deo pugnantem, Deo vincentem, Deo triumphantem occumbere: nec vllum majus clarissimo regno nostro decus accedere potuit, nec splendidior triumphus tot insignes victorias cumulare. Neque verò magis Christianissimi Reges accepta ab eo amplissimi ac potentissimi regni hæreditate gloriari debent

quàm diffuso in omne genus suum eximiæ sanctitatis ac mortis honestissimæ splendore; qui clarissima sua luce animos eorum perpetuò excitare & admonere debet, vt Religionis, vt Ecclesiæ auctores, defensores, propugnatores esse non desinant, si maiestatem illam suam gloriamque tueri volunt.

Nos verò, Auditores Ornatissimi, qui regij Theologi sumus, adhortari etiam debet, vt quemadmodum ille pro Religione vitam, sanguinem, fortunas omnes Regni suasque non dubitauit toties impendere, nos certè pro veritate & æquitate, quibus omnis pietas constat, quantum in nobis est tuenda, nulli rei parcamus, nullius rei vel spe vel timore, nullius hominis gratia vel odio, nullis præmiis vel terroribus à recto tramite deflectamus.

Sed neque sola pietas ac religio Magni Principis laus est, nec ea sola Ludouici nostri decora omnia continentur; nisi forte quod ceteræ virtutes omnes regię ex præscripto diuinæ legis ad populorum salutem adhibitæ sacræ quodammodo ac religiosæ redduntur. Nam à Deo Optimo Maximo in fastigio rerum humanarum collocati sunt Reges, vt omnium quidem obsequiis & obseruantia colantur, verùm ea lege, vt rerum bene gestarum gloria contenti, vtilitatem omnem Imperij sui in subditos sibi populos deriuent, se totos illorum commodis atque incolumitati impendant, nihil potius quàm eorum salutem ac

securitatem ducant, in id vnum incumbant, vt qui sub imperio suo viuunt, felicitatem suam omnes Principis curis ac laboribus debere se fateantur.

Quod vt præstare possint, Auditores, quantis & quam præclaris virtutibus opus esse putatis? Non enim otio diffluens aut voluptatibus corruptus animus tantam molem ferre posset: Ne mediocribus quidem virtutibus, quibus priuata vita cum laude ducitur, publica illa diuini muneris procuratio contenta est: Maius aliquid animo concipere oportet eum, qui tanti nominis vim sustinere, tantæ dignitatis amplitudinem tueri velit. Consilio, prouidentia, æquitate, magnitudine animi, clementia, liberalitate, virtutibus omnibus præclara illa veræ Majestatis Regiæ species efficitur, quam qui moribus expresserit, hunc tanquam è cælo delapsum hominem, aut tanquam præsens aliquod numen intueri ac venerari mortales debent. Quis autem fuit vnquam Regiis illis virtutibus ornator, quàm cuius celebrandæ memoriæ hodiernus dies est consecratus?

Infinita sunt, quæ in hoc genere dici de Rege nostro possunt; neque si omnia essent enumeranda, inuenire exitum posset oratio, nec si omnia meritis laudibus ornanda, satis eloquentiæ cuiquam esse posset. Quâ enim dicendi tantâ vi tantæque copia prædicari possit, tantam his postremis sæculis bonitatis, humanitatis, clementiæ

lucem Galliaē nostræ affulsisse, ut quem omnes tanquam potentissimum Regem ac Principem Illustrissimum reuererentur, eundem ut Patrem indulgentissimum, ut tutorem Amantissimum colerent, amarent, omni pietate & obsequio prosequerentur? Quis incredibilem illam in summo imperio innocentiam? Quis in omnium rerum potestate abstinentiam ac modum satis laudare atque extollere possit; quæ tanta in Ludouico fuit, ut in nullo vnquam homine priuato, in nullo sacris deuoto viro integritas sincerior, puriorque vitæ sanctitas fuerit, quàm in Rege potentissimo, in fortissimo Imperatore, in tot præliorum victore fuit?

Iam verò quæ ad vniuersæ Reipublicæ statum & administrationem pertinent, quanta æquitate, quanta sapientia gubernauit? Nouerat obseruatione legum dignitatem & incolumitatem Imperij contineri; eas omni studio ac sollicitudine ut vitam salutemque suam semper tutatus est: Nouerat æquitatem & iustitiam in omnes vnã maximè quietis tranquillitatisque publicæ fontem ac originem esse; eam sic autoritate sua firmavit, sic omnibus imperij præfidiis opibusque communiuit, ut nulla vnquam in re labefactari aut tentari sit passus. Incredibilia sunt, Auditores, his præsertim nostris moribus, quæ de hac Regis sanctissimi laude historici memoriæ prodiderunt. Secedebat plerumque in illud propinquum Vrbi Vincennarum nemus, cuius amani-

tate delectabatur. Quid illic acturum putatis, Auditores? Voluptatibus scilicet, rusticationi, aut venationi operam daturum? Reipublicæ quidem prodesse delectatio maxima Regis optimi, voluptas summa fuit. Illic sub quercu sedens, sic enim narrant, facilem ad se & expeditum aditum omnibus præbens, omnium querelas benignè audiens, omnium causas cognoscens mira æquitate ac prudentia jus ipse populis dicebat, lites incidabat, dissidentes ad concordiam & amicitiam reuocabat. O quercum illam soliis omnibus, sellis curulibus, lectisterniis illis regalibus anteponendam! ô Majestatem Regis sic sedentis omnium gentium cultu dignissimam! ô Regum omnium exemplum sæculorum omnium veneratione consecrandum!

Neque solùm iudicis optimi functus officio est: æquitatem ab aliis constantissimè exegit, quam ipse integerrimè præstabat. Extant etiamnum edicta Sanctionesque seuerissimæ, quibus iudicantium auaritiam ac cupiditates coërcet. Intelligebat nimirum optimi Principis officium esse, vt non solùm legum obseruator innocentissimus, sed vindex etiam acerrimus haberi velit.

Liberalitate verò & magnificentia quanta fuit! Mitto ædificia permulta, non ad immanem quandam diuitiarum ostentationem in oculis populorum erecta de calamitatibus publicis cruenta trophæa; sed ad vtilitatem Reipublicæ, ad diuini numinis cultum, ad ægrotorum leuamentum, ad

egenorum subsidium excitata. Mitto eximiis tum virtutibus ac meritis in Rempublicam præclaris propofita femper ac reddita præmia: Mitto in omnia Regni commoda, in tot bella, tot classes, tot exercitus insumptam pecuniarum vim infinitam. Horum omnium laus summa, liberalitas gratissima & magnificentia præstantissima est, quòd in tantis vndique sumptibus ac necessitatibus publicis, non minùs abstinens alieni quàm sui non parcus fuit; quòd non vnius munificentia, publica inopia; nec victoriæ Principis, populorum calamitates fuerunt. Subditorum suorum fortunas augere atque amplificare, non immensis vectigalibus, ac tributis consumere, pulcherrimum putauit; suam gloriam maiestatemque præstantissimam esse duxit populos ditioni suæ subjectos, quàm florentissimos ac beatissimos esse.

Agnoscite, Auditores, diuinæ magnitudinis, quam in terris præ se ferre debent Reges haud obscuris leuiter inchoatam vestigiis, sed clarissimis notis impressam in Ludouico imaginem? Videtis eum non futilibus supremi illius Imperij simulacris, sed veris diuinæ cuiusdam bonitatis ac clementiæ argumentis optimum ac beneficentissimum numen Galliæ nostræ repræsentasse, cui omnia deberet & præsidia salutis & ornamenta dignitatis?

Neque tamen amplissimi Regni finibus Ludouici nostri virtus & gloria continebatur: toto orbe Christiano perpetuus pacis & tranquillitatis

author defensorque fuit. Inter vicinos nihil tumultus exortum, nihil injuriæ admissum erat, quod non prudentia & æquitate admirabili statim comprimeret ac penitus extingueret. Populorum omnium securitati ac quieti Princeps optimus inuigilabat, nec quidquam in perniciem publicam erumpere aut manare latius vnquam patiebatur. Tanta verò virtutis ejus existimatio ac reuerentia omnium animos impleuerat, vt ex ejus nutu omnes arbitrioque pendere, ex ejus sententia controuersias dirimere, litesque componere honorificentissimum sibi putarent. Itaque non potestate jam nec autoritate minori inter cæteros Principes, quàm inter subditos suos erat; totiusque Europæ potiùs quàm vnus Galliæ Rex appellandus videbatur.

Nullâ re magis apparuit quod tantopere sacris oraculis prædicatur, Deum nostrum, qui optimus simul & maximus est, amplissimam exhibiti sibi obsequij mercedem reddere solere; eorum gloriæ studiosum esse, honores & potentiam amplificare, quibus sua ipsius gloria cultusque curæ est. Nihil aliud egit, nihil cogitauit Ludouicus, quàm vt Christi Imperium vbique stabiliret, & in vltimas terras propagaret. Quid contra Deus? Sanctissimo Regi gloriam Regni nullis limitibus, nullis terminis circumscriptam dedit: aut maximas de hostibus victorias concessit, aut victo captoque majorem quàm ex victoria splendorem conciliauit. Non modò
Regnum

regnum eius in Gallia subditorum omnium amore ac veneratione firmissimum tranquillissimumque seruauit; Imperium etiam in cæteras nationes perpetuum autoritate & virtutis fama stabiliiuit: neque solùm populis omnibus dum viueret admirandum venerandumque reddidit, mortuum etiam summa gloria honoribusque decorauit; vt nullus vnquam Rex extiterit, qui gentium omnium amore & obseruantia illustrior, qui posteritatis omnis prædicatione celebratior fuerit; nullus denique, quem tam solida, tam illustri, tam diuturna regni Imperiique gloria splendidiorem Augustioremque Deus effecerit.

Meritò itaque te, LVDOVICE SANCTISSIME, patronis indigetibusque suis adscriptum Christiani omnes populi votis nunc vocant, sacrorum altariumque religione consecratum venerantur. Quem enim, dum in terris viueret, benignissimum, & beneficentissimum experti homines sunt, ab eo jam in cœlum recepto bona omnia expectare se debere iure confidunt. Habeant cæteræ gentes Reges suos cognomine Magnos, Illustres, Nobiles, victoriarum suarum titulis ac prouinciarum deuictarum nominibus insignes: Gallia Sancto Rege maximè gloriatur; quod nomen omnium splendidissimum & admiratione dignissimum est, cuius gloriam laudibus omnibus Regiisque virtutibus resplendentem, nulla labe respersam, nullo vitio violatam, purissimam sincerissimamque LVDOVICO Deus concessit; quam

E E e

nullæ gentes filebunt, nulla imminuet vetustas, nulla longinquitas temporis obscurabit.

Quo ergo animo nos in tam præclaram ac tam diuinam virtutem esse oportet, Auditores ornatisimi? quibus honoribus, quibus gratulationibus faustissimam tanti viri memoriam ornare debemus? Primùm quidem regnantem jam & triumphantem in cælo Regem omni cultu ac veneratione prosequi: orare deinde, vt cum olim tanta beneficia Galliæ, atque adeò toti Europæ omnique nomini Christiano dederit; nunc cum ad bonorum omnium fontem admissus est, cum apud Deum valet plurimùm, nostrasque res & fortunas è cælo clariùs intuetur, respiciat Galliam suam; afflictæ ac propè jam exanimi opem ferat, Orbem Christianum miserrimis ac funestissimis bellis confectum auxilio iuuat atque ab interitu vindicet. Tantis vulneribus mederi vel maximè potest progenies eius clarissima Princeps noster Augustissimus Adeodatus, populorum omnium spes, amor, expectatio. In eum omnium oculi animique conuersi sunt. Ab eo tranquillitatem post tot funestissimas tempestates, ab eo felicitatem post tot immanissimas calamitates velut à quodam benignissimo fidere expectant, ac veluti suo quodam jure flagitant. Obsecremus obtestemurque Sanctissimum progenitorem, vt præstantissimi nepotis excellens ingenium & ad optima & maxima quæque natam indolem sua ope iuuare, tacitis cohortationibus regere, auxi-

liis confirmare ac corroborare velit; vt voluntati eius ad salutem tranquillitatemque publicam summè propensæ, ac salutaribus consiliis felicem faustumque exitum velit impetrare.

Sed quod propiùs ad nos attinet, & ad officium nostrum maximè spectat, hoc impensius agamus, Auditores, vt tam præclarum ac tam admirabile sanctitatis exemplum intuentes, aliquo imitandi studio incendamur; vt cum tot fortunæ impedimentis à virtute perfecta, ad quam ille tamen peruenit, non prohibeamur, aliquam saltem in priuata vita virtutum eius speciem referre moribus nostris contendamus, sinceræ pietatis custodiam, quam ille tantoperè dilexit, nostris rationibus commodisque omnibus semper antepōnamus, pacem, concordiamque, cuius ille semper studiosissimus fuit, omni studio & cura conseruemus. Sic & patrociniū Sanctissimi Regis cultu obsequioque nostro certius demerebimur, & felicitate, gloriaque, qua nunc in cælo fruitur, erimus aliquando digniores.

